

Q. SEPTIMII FLOREN

TIS TERTULLIANI, LIBER
SECUNDVS AD VXOREM.



PROXIME tibi dilectissima in domino cōserua, quid fœminæ sanctæ matrimonio quacunq; sorte adempto sectandū sit, ut potui prosecutus sum. Nunc ad secunda consilia conuertamur, respectu humanæ infirmitatis quorundam exemplis admonentibus, quæ diuortio uel mariti excessu oblata cōtinentiæ occasione, non modo abiecerūt oportunitatem tanti boni, sed ne in nubendo quidem rursum disciplinæ meminisse uoluerunt, ut in domino potissimum nuberent. Itaq; mihi confusus est animus, ne qui te nuper ad uniuiratus & uiduitatis perseuerantiam hortatus sum, nūc mentione nuptiarum, proclium tibi labendi ab altioribus faciam. Quod si integre sapis, certes istud seruandū tibi esse, quod sit utilius: quod uero difficile est, & non sine necessitatibus: & hoc maximum propositum uitæ supremi præsidij: nec mihi de isto quoq; referendi ad te causæ fuissent, nisi grauiorem meam sollicitudinem comprehendissem. Nam quanto grandis est continentia carnis, quæ uiduitatē ministrat, tanto si non sustineatur, ignoscibilis uideri potest: difficilium enim facilis est uenia. Quanto autem nubere in domino perpetrabile est, uti nostræ potestatis, tanto culpabilius est non obseruare quod possis. Eo accedit quod Apostolus de uidiuis quidem & nuptis, ut ita permaneant suadet, cū dicit: Cupio aut omnes ex eo exemplo perseuerare. De nubēdo uero in domino, cum dicit tantum in domino, iam non suadet, sed exerte iubet. Igitur in ista maxime specie nisi hoc sequimur, periclitamur: quia suasum impune quid negligas quàm iussum. quod illud de consilio ueniat, & uoluntati proponatur: hoc autem de potestate descendat, & necessitate obligetur: illic libertas, hic contumacia delinquere uideatur. Igitur cum quædā istis diebus nuptias suas de ecclesia tolleret, id est, gentili cōiūgeretur: idque ab alijs retro factum recordarer, miratus aut ipsarum petulantiam, aut consiliariorū præuaricationem, quod nulla scriptura eius factam licentiā proferrēt, Nunquid, inquam, de illo capitulo sibi blandiuntur, primæ ad Corinthios, ubi scriptum est: Si quis frater infidelem habet uxorem, & illa matrimonio cōsentit, ne dimittat eam. Similiter mulier fidelis, infideli nupta, si cōsentanea maritum experitur, ne dimiserit eum. Sanctificatur enim infidelis uir à fide li uxore, & infidelis uxor à fide li marito: cæterum immūdi essent filij uestri. Hanc motionem fors fidelibus inuinctis simpliciter intelligendum, putent etiam infidelibus nubere licere, qui ita interpretantur. Absit ut sciens se circūscribat,

For. meo uel ex meo

Fort. inuentis.

(quia
gentili ma
licebat prole
dit, Sonant
anat.
Q. Septimii